

CAPUT VI.

De legatis.

§. I.

De communicatione gentium.

Legationibus opus non esset, si necessaria
haud foret gentium communicatio. Quis au-
tem non intelligit, talia ac tanta inter gen-
tes saepius occurrere negotia, quae sine mutua
communicatione rite determinari nequeunt?
Negotia isthæc vel talia sunt, ut ipsam
tangant strictam justitiam, vel ad æquitatem,
vel denique ad honestum & decorum refe-
rantur. Cùm igitur nec integræ gentes, ne-
que etiam quarum imperantes personaliter
inter se se convenire seu congregari semper
valeant, congruum erit per personas selec-
tas, in præstitutum finem debitâ authoritate
munitas, arque ad aliam gentem missas præ-
dicta negotia perficere.

Sanè, cùm jus fœdera & pacta consti-
tuendi liberis competit gentibus relatè ad
gentes alias, negari iisdem quoque non po-
test jus mittendi legatos in ordine ad con-
cernentia negotia peragenda.

Hæc etiam gentium communicatio per-
utilis est in finem hunc specialem, quod ea
mediante gravia saepè incommoda inter gen-
tes evinentur, quæ eâ præclusâ facile emer-
gerent. Sic per interpositam legatorum ope-
ram



ram ac dexteritatem immania non raro bella
avertuntur, quae alioquin enata fuissent; bo-
na item plura alia consolidantur, quæ sine
nationum communicatione explosa fuissent &
relegata in fines thracios.

Quemadmodum igitur liberarum gentium
recta communicatio perutilis est, imò sæpe
necessaria, eoquod insignes parturiat fruc-
tus sine eâ nunquam suborituros; ita etiam
legatorum missio & acceptatio commendanda
venit, utpote sine quibus communicatio la-
befactatur, fructusque præmemorati haud
colliguntur.

§. II.

Legati notio.

Notionem legatorum hujus generis exac-
tam tradit *illusterrimus Petrus de Marca* *Tome*
II. Lib. V. Cap. I. n. X. de concord. Sacer-
dos imp. dicens: “ Restat ultima legatorum
“ species, quæ jure gentium apud omnes
“ populos consecrata est; de quibus unicâ
“ lege in toto juris corpore agitur. (L. i.
“ ff. de officio praefidis) Legati hujus generis
“ dicuntur, qui à principe delecti negotia
“ publica cum exteris gentibus, ad eas missi
“ deceptant; vel, ut Belisarius eos descrip-
“ sit apud Procopium, si quid à contermi-
“ nis gentibus desideratur, id postulatum iis
“ mittitur per legatos. Ii pro rei tractanda
“ magnitudine nunc illustriores; nunc vero
“ inferioris gradus mittebantur. Quod usur-
“ pari

" pari solitum ab Imperatoribus Constantino-
" politanis, & à Regibus persarum, obser-
" vavit Menander in eclogis. "

Conficitur ex his, quod illi, qui lega-
tione funguntur, negotia tractent *publica*, &
quidem non proprio suo, sed gentis, seu
imperantium nomine & autoritate: unde le-
gati gerunt officium procuratoris ac ministri
publici; eoquod mittentis personam induant,
quamque repræsentent: & ille est *character*
repræsentatius, quo proprii nominis legati
sunt insigniti.

Requiritur porro, ut legatus sit subdi-
tus illius gentis, à qua mittitur ad gentem
aliam; id quod ipsa negotii tam delicati ratio
deponscere videtur; vel maximè, quia summa
in legatis necessaria est fidelitas.

Insuper notandum, quòd propriè lega-
ti dici nequeant illi, qui aut sua propria,
aut aliorum privatorum negotia apud exte-
ras nationes tractant; imò ne illi quidem,
qui publicas quidem, etiam extra territo-
rium, causas agunt, adtamen sine solemní
mandato, aut sine literis *credentialibus*: quæ
legatis traduntur ad amoliendam omnem
fraudem, ne quis nempe alias personam le-
gati fraudulenter induere ac simulare valeat
cum maximo gentium concernentium præ-
judicio.

Consequitur ex iis, quæ hucusque sta-
bilita sunt, quòd *legatus* differat *primo* ab
agente; hic namque negotia ut plurimum
tractat *privata*, parumque refert, an intra,
vel

vel extra territorii fines; dum econtra legatus publicas gentis causas, & quidem extra territorium gerit. Secundo à deputato; deputati enim à subditis mittuntur ad suos imperantes. Tertio à commissario; nam commissarii à superioribus vel imperantibus ad suos subditos destinantur.

Contingere verò potest, subditum quendam extra territorium existentem ab imperante proprio legatum institui apud illam gentem, apud quam re ipsa modo degit: pro quo casu necessariam haud esse *missionem*, cui liber notum est.— Illi etiam, qui etsi publica hinc inde imperantium negotia gerant, quin tamen horum imperantium, sed potius gentis, apud quam isthaec negotia agunt, subditi sint, non sunt legati proprii nominis.

Manifestum est etiam, quod jure legationum inter se se duntaxat illi gaudeant, quibus competit *suprema potestas*, sive, quod idem est, qui gentis prærogativâ sunt insigniti: unde inanis foret legatio inter partes eâ autoritate non pollentes.— Nullus etiam legatus excedere potest limites literarum suarum credentialium; quare si ultra limites istos sibi à gente sua præfixos paeliniverit aut foedera, hæc gentem non obligant; quia legatus in hunc effectum non fuit qualificatus.— Quodsi legatus praeter literas credentiales & causas publicas in ipsis contentas speciales atque secretas instructiones habeat, & contra has publicam ineat conventionem conformiter ad instructionem pu-

publicam, eâ conventione gens ipsa ligabitur; atque extunc supponitur, quod legatus post deprehensum situm rerum uti non potuerit instruzione privatâ.

Potest tamen quandoque legatus per consensum gentis suæ generalem & tacitum varia inire pœta genti proficia, maximè, si sit legatus plenipotentiarius: ex quo patet, quod non omnes legati ejusdem sint ordinis & conditionis.

Diversitatem legatorum refert Cl. Zallinger Lib. IV. j. g. §. CCCXII. ubi inquit: "Est alia vis repræsentandi *specialis* & arbitria, sita in solemnitatibus: quæque à dignitate missi, ac mittendi modo pendet. Legati, qui personam ac dignitatem missi charactere speciali exhibent, primi ordinis dicuntur; reliqui secundi ordinis. Ambo vel ordinarii sunt, assidui aut perpetui, vel *extraordinarii* & temporales: itemque si cum plena potestate mituntur, *plenipotentiarii*, aliás *formularii*. His secundum acceptam formulam tractare tantum, illis etiam concludere licet sub conditione, si ratum habeatur ,".

In jure canonico legati ad tres potissimum classes reducuntur: alii namque sunt legati à latere, alii legati *missi*, alii legati *nati*. Legati à latere ordinarii sunt cardinales illi, qui à S. pontifice destinantur ad aliquam provinciam in ordine ad legationis officium cum debita potestate exercendum. Nuncupantur autem legati à latere, quia cardinales summi

pontificis lateri adstant, à quo latere quā
extracti videntur, dum alibi legatione sum-
guntur. Legari à latere extraordinarii illi ve-
cari solent, qui occasione emergentis nece-
sitatis Ecclesiæ mittuntur ad adferendam me-
delam in locis concorrentibus. — Legati
missi passim illi vocantur prælati, qui à Papo
tanquam Nuntii apostolici mittuntur in va-
rias partes in ordine ad obeundam cum de-
bitâ facultate legationem apostolicam habili-
ter, aut solummodo ad tempus. — Legati
nati dicuntur, quorum dignitati ecclesiasticae
quam tenent, munus perpetuae legationis ad-
nexum est per ipsam Summi Pontificis au-
toritatem, qui stabili ratione cuidam sedi
hanc legationem adjunxit; ita nempe, ut
quam primum aliquis tali Ecclesiæ præficitur
etiam legatus quasi per hoc natus instituatui-

S. III.

De legatorum obligatione.

Cuilibet genti competit jus, felicitatem &
securitatem non solum internam, verum
etiam externam conservandi & promovendi
unde & sit, quod eum in finem legationes
instituere possit, per quas aut læsionem illa-
tam reparare, aut imminentem prævenire &
avertere, aut aliam gentem arctiore amicil-
tiae & auxilii vinculo copulare sibi valeat. —
Huic juri, quod vel perfectum est, vel im-
perfectum reciproca correspondet alterius
gentis obligatio.

Cum itaque legati gentem aut impe-
rante mittenrem repræsentent, cumque per-
sancti hujus muneris susceptionem ad exac-
tam illius præstationem toti genti suam
dent fidem, adeoque ab eorum fidelitate &
zelo universæ gentis suæ non exiguum bo-
num dpendeat; non obscurè elucescit, quan-
tæ & quām sanctæ sint legatorum obligationes.

Tenentur ergo legati totum legationis
suæ objectum omni sinceritate ac sedulitate
pro possibili deducere in effectum, quin li-
mites sibi præfinitos excedant; tenentur &
omnium actionum suarum rationem reddere
imperantibus, quorum utpote personam re-
præsentant, quorumque negotia gerunt: re-
nentur denique apud gentem, ad quam missi
sunt, suas ita instituere actiones, ut nullam
justæ suspicionis notam incurram.

Sint ergo legati genti præcipuò pro-
priæ undeaque fideles, sint erga gentem,
penes quam legatione funguntur, *sinceri &*
recti: fidelitas ista respectivè atque sinceritas
desideratum istum parturiet effectum, per
quem gens cum gente fortissimis justitiae &
æquitatis vinculis colligabitur, sicque mu-
tuam felicitatem nanciscetur.

§. VI.

De libertate, & de independentia legatorum.

Singulare jus libertatis ac securitatis tribui
legatis tunc modò solet, dum iter ad locum
desti-

destinationis suæ arripiunt; aut dum exponi
 inde revertuntur: impenditur nempe ipsi
 commentatus, qui passim describi solet facultati
 alicui suæ, ut ad certum locum tuto se conferre
 & inde pariter tuto reverti possit.
 Legatis committantur instructis liberum per
 alia territoria concedendum esse transitum
 non sola docer ratio naturalis intuitu officio
 rum immixtæ humanitatis, cæteris nempe
 paribus; verum etiam jus gentium id ipsum
 exigit: diuturnis quippe gentium moribus
 tacitoque pacto res ista comprobatur. — Cum
 insuper gentium felicitas à legationibus rete
 ordinatis permultum dependeat, cumque gen
 tes ad communem felicitatem concurrerent
 neantur, quam tamen legatos retardando &
 legationes impediendo, si impeterent atque
 subprimerent; consequens est, quod libertati
 ista legatis etiam vi juris gentium competat.
 Legatorum porro iura passim sancti
 nuncupantur; & quo eminentiora sunt, gen
 titusque utilia magis & adcommodata, eò
 major & gravior est legatorum violatione,
 qua proinde tam imperantes, quam subditi
 penes quos legati existunt, alienissimi esse
 debent; si enim homini cuivis privato
 beatur jus securitatis; quidni & legatis, ut
 pote qui universam gentem repræsentant
 atque in favorem gentium suam sanctam opere
 ram interponunt? sanè læsiones illis illarum
 in ipsos eorum imperantes seu principales
 redundant; ut proinde id, quod quis legato
 quâ tali facit, ejus principali fecisse censi
 omnia debeat.

flor De inviolabilitatis seu immunitatis debili-
tæ legatis fundamento Cl. Desng. j. g. Capi-
t. Them. VI. n. 2. in modum loquitur se-
quentem: "Fundamentum hujus inviolabilitatis
alterum est *jus naturæ*; alterum *liber-
tas gentium*. Nam si passim violabiles essent
legati, nemo esset, qui operam ad com-
ponenda gentium negotia, ac lites sopiae-
das locaret: itaque perpetuæ manerent
bella & inimicitiae, mediis reconciliationis
abscissis: id quod juri naturæ repugnaret.
Libertas autem gentium alterum hujus
immunitatis fundamentum est; sicut enim
gens genti non est subjecta & obnoxia, uti
supponitur; ita nec legatus est subjectus
& obnoxius, qui receptus est, tanquam
repræsentans gentem. ,,"

Decernendum nunc restat, quid de in-
dependentia, seu de immunitate legatorum
quoad forum sit de jure statuendum? — No-
randum præliminariter, quod immunitas à
foro, seu jurisdictione gentis illius, apud
quam legatum quis agit, non pertineat ad
legationis *essentiam*: è prioribus namque pa-
tet, quod proprius gentis illius subditus le-
gatum alienæ gentis quandoque agere possit.
Deinde legatus etiam extraneus sub iis po-
test admitti conditionibus, ut in variis cau-
sis foro gentis legatum recipientis subjiciatur.

His inattentis, decidendus manet status
quaestionis, an legatus regulariter à foro ter-
ritoriæ alieni, in quo legatione fungitur, im-
munis sit & exemptus? — Variant in hac de-
cione oratione

cisione auctores; aliis simpliciter negantur respondentibus, & aliis distinguenteribus inter causas ad ipsam legationem spectantes; & inter causas legatorum privatas à munere & actionibus à legatione contradistinctas, solventes, quod legati quidem in primo non item in secundo causarum genere sunt exempti.

Verum, si in missione, & acceptatione legati nulla facta sit restrictio & exceptio nulla quoque adjecta conditio, probabilitas mihi videtur sententia, quod legati simpliciter immunes sint à jurisdictione gentis illius, apud quam sub eo charactere morantur.

Primo, namque legati eà lege ad alios gentes mittuntur, ut propriis suis imperantibus subiecti maneant, sive omnia actionum suorum exactam debeant reddere rationem, qui & imperantes sponsores esse debent actionum suorum legatorum. Et profectò propter omnimodam subjectionem legati relate ad proprium imperantem, hoc loco subintrare videtur illud: nemo potest dominis servire duobus. Insuper à nutu suorum imperantium legati in omnibus pendunt: igitur his, non item aliis subjiciuntur, prouinde & à solis suis imperantibus in iudicium vocari possunt.

Secundo, legati repræsentant personam sui imperantis, seu integræ gentis suæ: cum igitur gentes à gentibus, & imperantes ab imperantibus ejusdem generis sint penitus & in omnibus independentes; consequens est, quod

quod eodem modo ratiocinandū sit de lez
gatis; ubi enim eadem sunt determinantia,
idem resultat determinatum. Pater ergo dif-
ferentia inter personas privatas, quae domi-
ciliū in alieno territorio figunt, & inter
personas publicas sive legatos, qui sub per-
sona suae independentis gentis in alieno ter-
ritorio morantur. — Addi potest, quod le-
gati eodem modo suspiciendi sint, sicut pro-
prii eorum imperantes; hi verò si ipsi met in
alieno territorio morarentur, ei non subji-
cerentur: ergo neque eorum legati. Quam-
vis ergo legati sint *in territorio*, adtamen
sub territorio non esse, jure centendi sunt.

Media, per quae legatorum immunitas
vergere nequeat in detrimentum territorii il-
lius, in quo morantur, suppeditat *Cl. de Mar-*
tini Cap. XXII. de legationibus §. DCLXXVI.
ubi inquit: “Ne tamen adserta independen-
tia in perniciem civitatis, in qua degunt,
legati abutantur, & sub hac, tanquam um-
bra, impunes delitescant, sufficientia adhuc
lege naturali prodita sunt remedia, quibus
æqualis contra æqualem jura sua profe-
quatur. Scilicet læsione jam illata, aut con-
tracto ære alieno, legati nunc urbe & fi-
nibus facessere jubentur, nunc coram pro-
prio conveniuntur imperante; qui si justi-
tiam administrare recusaret, ea adhibenda
naturali jure competunt .”

Et *S. DCLXXVIII.* addit: “Verum, si
læsio a legatis nulla illata sit, sed inferen-

“ da justis ex causis metuantur, tum periculis
 “ avertendi gratia, publica tenentur custodi;
 “ & interrogationibus subjiciuntur. Quod
 “ in vim armatam se se efferat eorum au-
 “ dacia, haec etiam morte aggressoris non
 “ per modum judicii, sed per modum ne-
 “ cessariæ defensionis cohabetur ”.

Communior etiam est sententia, quod
 non soli legati, verum etiam eorum domes-
 stici, & præprimis uxori & liberi, non sub-
 jicientur foro territorii illius, in quo cum
 capite suo, nempe legato, morantur. Idem
 à fortiore dicendum de secretariis legationis
 utpote qui ex officio ad ipsam legationem
 pertinent.

Non erit abs re, sensa Cl. Desing. circa
 hanc rem, prout Cap. V. j. g. Them. VII.
 VII. & IX. leguntur, hoc loco confignare;
 videlicet: “ Quousque autem le extendat ea
 “ immunitas ultra personam legati, & ne-
 “ cessariorum ejus; non est definitum jure
 “ aliquo gentium certo. Adparet hoc ex per-
 “ multis omni tempore litibus suscitatis in
 “ Anglia, Hispania, Germania &c... Adparet
 “ etiam ex eo, quod multæ tales legationum
 “ immunitates dicantur saepè *privilegia*, & ve-
 “ lut exemptiones à communi jure..... Plerum-
 “ que tamen in his convenitur, quod capi,
 “ incarcerari, aliisque modis coactari ne-
 “ queant, nec domus eorum excuti &c...
 “ Ubi legatus delictum privatum commisit,
 “ debita contraxit &c. jure gentium non sub-
 “ jacet reipublicæ ubi moratur, sed suæ, qui

“qua missus est. Usu ita receptum esse con-
stat. Ratio est, quia non est subditus, sicut
“nec respublica, quæ eum misit. Ubi tamen
“deliquerit in rem publicam, ad quam est mis-
sus, vel alias periculosis est, aut ubi est
“in mora periculum; jure gentium potest
“comprehendi, domus excuti &c. modestè
“tamen, & nihil supra magnam necessitatem;
“quia hæc non adeo certi sunt iuris, ut
“non magnis altercationibus, & quandoque
“bellis præbuerint occasionem. ,

Dum inter gentes oritur bellum, legati
in antecessum domum sese recipiunt. Quod-
si bello modò snborto & coepito eos adhuc
in loco suæ legationis existere contigerit,
nihilominus violari non debent; supponitur
enim, quòd aptam discedendi necdum inve-
nerint occasionem; adeoque sacris juribus le-
gationis non spoliantur: & generatim privi-
legia, vel jura legatorum non ante exspi-
rant, quam dum in patriam sunt reversi.

Ex iis, quæ hucusque stabilita sunt, prin-
cipiis de sacris legatorum juribus, facile col-
ligitur, quòd neutquam competit genti, quæ
bellum suscepit cum alia gente, hujus lega-
tum invitum retinere, aut, quod plus est,
libertate privare, vel captivare.

Ipsa profectò sana ratio, ipsumque le-
gationis officium id dictant & evincunt; quis
enim legatum agere vellet apud gentem tan-
tore incultam & barbaram, ut ingruente
bello gentis oppositæ legatum innocentem
adgrediatur & capiat, aliisve indignis in justis-
que



que tracter modis? — Legationis officium pōn^d
derosum est, onerosum est: & certè penitus
insupportabile fieret, si bello mutuò invales-
cente gens una alterius legatum violare au-
deret: inde revera gravissima damna redun-
darent; eoquod tali modo legationes tam
utiles, sæpiusque tam necessariæ in præstan-
tissimos etiam effectus, périrent ex defectu
personarum eas suscipientium. Itaque tam
injuriosus cum legatis procedendi modus
omniō damnandus est.

Exceptio tamen locum habere posset in
casu à Cl. *Delsing* superius relato, si nempe
legatus in ipsam gentem seu rempublicam,
penes quam legatione fungitur, deliquerit.—
Verùm, tale delictum non existimatū, sed
reale & undequaque probatum esse debere;
per se manifestum est: profecto, delicta
fingere, ea innocentib^s imputare, hosque
plectere, ab omni jure alienum est.

Pro fine notandum est, quòd inter jura
legatorum computari nequeat exemptione à sol-
vendis vectigalibus; horum quippe solutio
nullam indigitat subjectionem: adeoque, nisi
aliter conventum, præstanda erit.— Minime
etiam competit legatis, in locum suæ lega-
tionis prohibitas introducere mercis, aut
aliud quidquam practicare, quod in gentiis
illius præjudicium vergeret.

O. S. C. S. M. E.

Grauskala #13

C

W

M

B.I.G.

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

cium ponā
tè penitus
iò invales-
iolare au-
na reduc-
iones tant
i præstan-
x defectu
aque tam
di modus

posset in
si nempe
publicam,
liquerit.
atum, sed
e debere
d; delicta
, hosque
t.

inter jura
ntio à foli-
pe folurio
oque, nihil
- Minima
suæ legas
ices, aut
in genitio